

Salzburg, H. Peter a. V. 41 v. XIII. ex.

f. 25r

Flor. v. Hertzgenkrantz

Incipit Prologus generalis in scripta Orthodoxorum.

Immortale nichil mundi compage tenetur
Non orbis non regna hominum non aurea Roma
Non mare non tellus non ignea sidera celi
Nam statuit genitor verum irrevocabile tempus
Quo cunctum torrens rapiat flamma ultimum mundum
Set tamen innumeros homines sublimia facta
Et virtutis honos in tempora longa frequentant.
Accumulant quorum famam laudesque poete
Hos celsi cautes smyrnae de fonte fluentes
Illos mirchiade celebrat dulcedo heronis
Nec minor ipsorum distulit gloria ~~vatum~~
Quae manet eterne similis dum secula volabunt
Ac vertigo poli terras atque equora circum
Ethera sidereum iusto moderamine volvet
Quod si tam longam meruerunt carmina famam
Quae veterum gestis hominum mendacia nectunt.
Nobis certa fides eterna in secula laudis
Immortale decus tribuet meritumque rependet
Nam nobis carmen condunt insignia Christi
Divinum in populis falsi sine crimine donum
Nec metus ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus hoc etenim forsan nos subtrahet igni.